

num. 20. *Inst. de rer. divis. Zoesium in comm. ad ff. de acquir. rer. dom. n. 2. Treutl. vol. 2. disput. 20. thes. 1. lit. L.* Stamus a. à partibus Dni. Hahnii, qui non nisi cum absurditate earum dominium statui posse contendit, *in disp. de jur. rer. Concl. 13.* aut, si aliquid largiendum diversum sentientibus, in significato minus proprio admittit. *ibid. Concl. 39.*

(d) Hæc vocula constituit differentiam specificam, & facit dominium differre ab usu, usufructu & possessione; quæ non nisi in rei accidentia & commoda comparata sunt *arg. l. 13. § 1. de damna infecto*: istud verò in ipsius rei seu corporis naturalis substantiam, adeò ut non tantum arbitrium ejus liberum utendi, abutendi, negligendi, alienandi, sed etiam vindicandi rem à quovis possessore penes dominum sit *l. 13. de rei vindic. § 1. in fin. Inst. de action.* Atq; hæc est propria vis ac natura domini *l. femina 3. § illud. C. de secund. nupt. seu: effectus domini proprius Wes. in par. de acq. rer. dom. num. 3.* Notandum tamen, quod liberum hoc disponendi arbitrium sæpius aut jure aut conventionem impediatur, ut maritus in re dotali, pupillus, furiosus, prodigus &c. *t. t. Inst. quibus alienare licet vel non l. filiusfam. 114. § Divi 14 ff. de leg. 1.* Sic pignoris debitor non potest alienare pignus, quemadmodum nec creditor, si pactum de non vendendo intercescit *l. 7. in fin. § t. t. ff. de dist. pign. § ibi Wes. n. 5.*

VI.

Constat Dominium ex proprietate (a) & jure utendi fruendi (b) quæ conjuncta plenum dominium constituunt; separata separatam habent rationem (c)

(a) per *l. si cujus 13. pr. ff. de usufr. l. si tibi 17. ff. quibus modis usufr. amitt. l. proprietatis 4. C. de probationibus arg. § 44. § seqq. de rer. divis. l. 36. de acquir. rer. dom.* atq; dicitur pars integrans pleni domini *Bacchovio ad Treutlerum Vol. 2. disput. 20. thes. t. lit. K.*

(b) faciunt huc modò dictæ leges. Reddit equidem *Wes. in par. de acq. rer. dom. n. 4. § Paurmeist. lib. 1. de Jurisd. c. 20. n. 6.* partes Domini essentielles proprietatem & possessionem, quæ Græcis dicuntur *ἰσχυρισμὸς καὶ κτήσις*, *Wes. ibid.* At verò hæc non sapiunt